

**Dissertatio medica, inauguralis, de mutatione februm e tempore
Sydenhami, et curatione earum idonea / Jacobus Hutchinson.**

Contributors

Hutchinson James.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sfqvmz xu>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

Mutatione Februm e Tempore Sydenhami,
et Curatione earum idonea.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit,

JACOBUS HUTCHINSON,
BRITANNUS,

Soc. Med. Reg. Edin. Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Omnia mutantur, nos et mutamur ab illis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

DISSECTATIO

IN AUGUSTO

Mutatione Chymica & Physica
et Chymice compositione

ANALYSIS

in Anatomia

D. GULIELMO ROBERTSONE S.P.

ACADEMIA ROBERTSONIANA

ACADEMIA ROBERTSONIANA

IN ANATOMIA

PRO GRADU DOCTORATUS

SUBMITTITUR IN MEDICINAM ROBERTSONIANAM ET ANATOMIAM

ANALYSIS

IN ANATOMIA

JACOBUS HUTCHINSON

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

Viro optimo, Patruo suo,

JOSEPHO HUTCHINSON,

ARMIGERO,

Ob intemperatam,

Qua se semper profecutus est,

Amicitiam,

Hanc dissertationem inauguralem,

Ea qua par est observantia,

D. D. Cq.

A U C T O R.

Vine optimo, Tarrago suo,

JOSEPHO HUTCHINSON

A. R. M. I. G. E. R. O.

Op. intermedium,

Qua se semper profectus est.

Antiquum,

Hanc dissertationem inauguralem,

La qua per est observantia,

D. D. C.

A. U. C. T. O. R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Mutatione Februm e Tempore Sydenhami,
et Curatione earum idonea.

C A P. I.

P R Æ F A T I O.

ALII morbi aliis orbis terrarum regionibus proprii.
In calidissimis et ad austrum multum vergentibus,
nervosi putridique ; in frigidissimis et sub septentrione po-
sitis, inflammationem, et non raro proclivitatem ad putre-
dinem, ob naturam alimenti suppressamque perspirationem,
habentes ; in temperatis nulli, qui *endemici* appellari pos-
sunt, aut certi typi tenaces sunt, sed hi et illi magna va-
rietate commixti, et causis innumeris, quales sunt situs,
tempestates,

tempestates, numerus incolarum, sylvae, paludes, status agriculturae, &c. admodum natura et specie, quam prae se se ferunt, incerti et instabiles reddit, genus humanum infestant. Cum res autem ita se habeant, morbi Britannici, pro natura coeli, quo nihil magis mutabile, non parum varient, formasque diversas induant necesse est. Varii quidem semper et mutabiles fuerunt, ut scripta omnium medicorum, qui eos sunt executi, abunde testantur. Caeterum, mutationem intra centuriam, quae proxime elapsa est, annorum, quae aliunde, quam ab inconstantia coeli et mutabilitate, aliisque hujuscemodi, proficisci videtur, si non admodum fallor, subierunt. Hanc autem revera incidisse argumentis non facile refellendis probare, et causas quibus debeat tribui, quantum in memet est, hoc in opusculo investigare decrevi. Lumen vero mutationi, quam incidisse contendo, plenissimum offundetur, si prius quales febres continuae tempore Sydenhami fuerint, deinde quales hodie sint, considerabo. Quantum naturam autem febrium, quae, illo florente, epidemice grassatae sunt, spectat, ad quem meliorem testem, quam ad semetipsum, quo nihil unquam sagacius, observantius, incorruptius, candidiusve tulit Britannia, potest decurri?

S E C T.

S E C T. I.

Quales tempore Sydenhami febres fuerunt.

Hoc optime demonstrabit via medendi, in quam, per *epidemicas constitutiones* diversas, ut eas appellat, vir illustrissimus processit.—Omnes autem febres continuas, quae Londini locisve vicinis, per annos 1661, 1662, 1663, 1664, epidemice grassatae sunt, modo sequente, et plerumque quidem cum successu prosperrimo, depellere conatus est. Ægrotantibus universis, si pueros morbis praecedentibus debilitatos et aetate provectiores excipias, sanguinem satis liberaliter detraxit. Hoc omisso, delirium ferocissimum et phrenitidem oriri compertus. Experientia igitur, optima quidem magistra, doctus, sanguinis missionem pro parte curationis praecipua habuit. Hanc postea, pro gravitate signorum, reiteravit vel omisit. Deinde vomitionem per infusum croci metallorum vinumve benedictum, uti appellabatur, excitavit, quod ad diarrhoeam, quae, febre provectiore, oriri, nimiamque nonnunquam aegroto jam languidiori infirmitatem inferre periclitabatur, praecavendam moderandamve, plurimum conferre reperit. Si

causa

causa adhuc, ictus nempe arteriarum validiores et concitiores, non deerat, cur delirium vel quodlibet aliud signum malum accessurum esse suspicaretur, die post emeticum sumptum enema, non catharticum, ob proclivitatem ad diarrhoeam modo positam, praecepit. Si vero delirium nihilominus fuerit ortum, id detractione sanguinis magis liberali, enematis medicamentisque refrigerantibus, praesertim vere, discutere consuevit. Cardiaca denique, maturius, vel nullo sanguine, nimisve exigua ejus quantitate detracta, adhibita manifeste nocere, et inflammationem membranarum cerebri pleuraeve movere periclitari comperit. Talis fuit febris constitutionis aëriae supra comprehensae propria.

In peste etiam, quae annis 1665 et 1666, Londini saeviit, et stragem horrendam edidit, multa mortalium milia rapiens, sanguinem detrahare non dubitavit Sydenhamus. Immo, totam fere curationem in eo aequè liberaliter, ante bubones exortos, ac in pleuritide ipsa, emissio consistere putavit. In sententiam quidem super morbi natura et ejus curatione ex toto contrariam concesserunt medici recentiores. Omni enim evacuatione, utpote quae vires aegrotanti magnopere convellat, tantamque debilitatem, quanta eum subito extinguere periclitatur, faciat,

cauti

cauti abstinere, morbum pro summo gravissimoque typhi gradu habentes. Seculo forsitan Sydenhamiano, cum mortales causas debilitantibus postea enumerandis nondum fuerant objecti, corpora hodiernis multo valentiora, peste correpta, tot inflammationis sub initium signa ostendebant, quot detractionem sanguinis adhibitam aliqua ex parte excusatam poterant habere; vel omnes febres, quas pestilentes esse crediderit auctor celebris, non pestis verae et genuinae fuerunt. Nihil enim ob stare videtur, quo minus aliae febres, peste grassante, natura longe diversae possint oriri.

Insuper, in ea febre, quae Londinenses, annis 1667, 1668, et per aliquam anni 1669, partem, exercuit, et a Sydenhamo, ob similitudinem, quam eam inter et variolam intercedere putavit, *variolosa* fuit appellata, detractionem sanguinis liberalem adhibuit. Ad febricitantem accessit, sanguinem e venis brachii, nisi magna debilitas seniumve potissimum vetaret, protinus emisit, et idem diebus alternis, si signa salutis evidenter apparentia hoc parum necessarium efficerent, bis reiterari iussit. Diebus, qui inter sanguinis detractiones intererant, enema e lacte et saccharo similibusve confectum, praecepit, aegroti decoctum hordeaceum, aliosque hoc genus liquores, in potum

communem, decoctum avenaceum, panadam, poma tosta, &c. in alimentum concedens; ei vero quolibet juscule e carne animalium conflato interdicens.

Quantum ad febrem, quae constitutionis epidemicae partis anni 1669, et annorum 1670, 1671, 1672, propria erat, attinet, eam sanguinis detractione in omnibus, si debilitatos, quibus semper jure pepercit excipias, et alvi purgatione, saepius, prout gravitas signorum requirebat, reiterata, depulit. Ægroto praecepit, ut per primos morbi dies decocto avenaceo, juscule ex hordeo confecto, panada, similibusque, victitaret, et cerevisiam tenuiorem calefactam pro communi potione fumeret. Post alvum semel bisve purgatam, non ei amplius pullis gallinaceis similique cibo concoctu facili interdixit. Purgantia magis liberaliter in hac febre, quam in aliis supra comprehensis, adhibuit, quod nonnulla signa ei, cum dysenteria ejusdem constitutionis propria, communia esse sibi persuasum habuit.

Praeterea febrem, quae annis 1673, 1674, 1675, grassata est, sanguinis missione raro repetita, emplastro epispastico, inter scapulas applicato, ob dolorem capitis gravem, qui fere semper invasit, et enemate singulis diebus

ad

ad decimum quartum usque reiterato, tollere solitus est.

Quae febres continuae anno 1676 ortae sunt, eae non multum a prioribus modo positis discreparunt, paulo tantum leniores. Curatio igitur earum fere eadem fuit.

Febres quoque continuas, quae ab hoc tempore ad annum 1685, constitutione ad intermittentes admodum vergente, semet rarius ostenderunt, evacuationibus supra comprehensarum omnino similibus consuevit fanare.

Novae denique febris, quae sub initium anni 1685 oriebatur, et a reliquis supra dictis non parum differebat, modo sequente mederi fuit solitus. Decem sanguinis uncias brachio primum detraxit, epispasticum deinde inter scapulas applicavit, et postremo reliquam curationem purgantibus lenissimis absolvit, post singula horum aliquantum laudani liquidi constanter adhibens. Morbum reiteratam sanguinis missionem non bene ferre confessus est. Si vero spiritus difficilis, dolor capitis inter tussendum gravis, et alia hoc genus signa, urgere pergerent, ut sanguinis detractio, alvique purgatio, donec signa ex toto decederent, repeterentur fuasit.

E ratione autem medendi Sydenhámiana, quam fufe depinximus, quamque prosperrimam fuiffe negare non possumus, clare evidenterque constat, febres prioris seculi proprias ab iis, quae apud Britannos ubique fere hodie grassantur, admodum diversas fuiffe. Omnes, sine exceptione ulla, plus minusve inflammationis manifestissimae habuerunt. Omnes magnae debilitatis, viriumque sub initium convulsarum notis fuerunt destitutae. Animus raro magnopere contristatus. Nullae petechiae a crasi sanguinis dissoluta evidenter proficiscentes, nullae haemorrhagiae ab eodem fonte ortae, nullus sanguis missus textura laxa insignis, nullus spiritus excretave foetida, sed omnia his ex toto contraria, semet ostenderunt. Quod magnopere quidem mirandum, cum Sydenhamus artem in urbe omnium, eo tempore et hodie quoque forsitan, longe maxima medicinalem exercuerit, cum viae Londinenses, potissimum ante incendium, quod anno 1666 inciderit, horrendum, perquam angustae fuerint, domusque adversae in parte superiore prominentes se invicem fere tetigerint, et igitur perflatum nullum hodiernove multo pejorem habuerint, cumque denique in urbe tantae amplitudinis plurima alia, hic relatu nimis longa, non defuerint, quae aërem corruptum inquinatumque reddere possent. Hoc haud dubie nulli alii causae potest re-

ferri,

ferri, quam firmitati constitutionis corporeae hodierna longe majori, quae tot incommodis occurrere valuit tuta et illaesa. Quo vero febrium seculi prioris et hujus diversitas clarior etiamnum et illustrior evadat, signa earum, quae in praesentia soleant epidemice grassari, breviter percurramus.

S E C T. II.

Quales febres hodie sunt.

Quantum ad fynocham febremve auctorum inflammationem attinet, ea hodie, quam olim, multo rarior. Rusticos valentiores, qui labore diurno et diaeta e cibo animali magna ex parte confecta insueverint, qui causis debilitantibus postea recensendis non fuerint objecti, fere solos invadit. Cum accidit, haudquaquam tot inflammationis, quot ab auctoribus vulgo depinguntur, signa habet. Inflammatio enim plerumque non diuturna, sed fugax, et plures, quam unam, ut e praxi viginti fere annorum milles forsitam didici, praesertim si postea ad usum medicamentorum antimonialium confugiatur, sanguinis detractioes rarissime ferre valet.

Hanc febrem autem in firmioribus et plenioribus adesse, testantur signa sequentia, pulsus arteriarum frequentes, validi, duri; calor plurimum auctus; magna sitis; vires non multum imminutae; sensorii functiones parum sub initium turbatae; nullae remissiones insignes aut regulares. His accedit sensus frigoris sub initium et horror, quae excipiunt capitis lumborumque dolor, lassitudo, nausea, vertigo, appetitus ex toto prostratus, vigilia; lingua sicca, plerumque, morbo recente, albida, sed gradatim magis fusca evadens; rubor faciei, oculi lucis intolerantes, delirium, spiritus celer, urina coloratior sine sedimento, alvus dura, cutis sicca; profluvium ulcerum, quae inflammantur, suppressum. Haec ab initio usque quidem graviter urgent, sed ante crisin plerumque augentur.

Quae febris vero omnium apud Britannos maxime communis est, ea ab auctoribus synochus appellatur. Aliquot inflammationis sub initium signa ostendit, quae paucis diebus evanescunt, et deinde progressu finemque versus omnes notas typho, mox describendo, proprias habet; evacuationes etiam primis diebus admodum modicas tantum tolerare valens. Si enim liberales sint, tanta debilitas mox accedit, quanta postea vix ullis tonicis potest depelli. Haec febris semet contagione vulgare notatur.

Aliud

Aliud febris genus, quod nimis saepe saevit, multosque mortales rapit, est typhus febrisve nervosa. Hanc accessisse testantur calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae.

Quonam tempore hic morbus incipiat, pro certo affirmare difficile, quod signa sub initium admodum lenia sunt, et gradatim per multos dies increfcunt, antequam aegrotus cogitur semet continere. Signa prima sunt, debilitas universa, languor, moestitia; horror et calor leves, alterni, abnormes, frequenter redeunt; lassitudo, anxietas, spiritus gravis, sine ullo affectu pulmonum topico fixo; appetitus prostratus, nausea, pituita insipida vomitione nonnunquam rejecta, vultus pallidus et collapsus, vertigo dolorve capitis levis, somnus perturbatus. Defunt calor, sitis, lingua ficca, pulsus frequens, si gradum horum signorum noctem versus modicum excipias.

Signa gradatim ingravescent, aegrotus ad lectum semet recipere cogitur; pulsus arteriarum magis frequentes evadunt, sed debiles manent. Facies frequenter rubescit, extrema frigescent, sudores topici frigidique oriuntur. Systema nervosum, quantum multa, praesertim lucem

lucem et sonitum, spectat, admodum sensibile evadit. Accedunt subsultus tendinum, tremores, nonnunquam convulsiones, vigilia, quanquam aeger quodam stupore correptus, oculis apertis, saepe decumbit, delirium, non ferox, sed notionum potius confusio, et murmuratio continua parumque distincta. Hoc delirium antecedunt dolor, obtusus frigorisve sensus occipitis vel verticis, tinnitus aurium, aliquando, sed raro, oculi inflammati. Ictibus arteriarum debilibus et contractis stipatur, et quotidie increfcit, donec aeger sensus ex toto expers evadat. Urina pallida, serosa, sedimento destituta. Et, quanquam lingua, febre provectiore, sicca fit, febricitans sitim raro conqueritur.

Exacerbationes regulares nonnunquam accedunt, quae per sudorem unoquoque secundo, tertio, quartove die finiuntur. Post remissiones sedimentum in urina semet ostendit. Caeterum, febre provectiore, hae remissiones minus distinctae evadunt.

Ad extrema jam ventum esse testantur, pulsus arteriarum admodum debiles; corporis motum etiam minimum animi deliquium subsequens; vox languida, ejusdem mutatio vel jactura; respiratio difficilis, nullo thoracis affec-

tu topico praeunte ; spiritus minimo motu acceleratus ; aeger dorso incumbens, cruribus extensis ; extrema frigida ; sudores frigidi viscerum ; mutatio vultus insignis ; facies Hippocratica ; oculi non amplius nitentes fixi ; oculus semiclausus globusque ejusdem sursum versus ; visus duplex parumve distinctus ; caecitas ; potestas devorandi amissa.

Haec febris nonnunquam spatium suum, quod complures hebdomadas non raro comprehendit, universum absolvit, et nullas insignes putredinis notas ostendit, quam aegrotus fato concedit. Caeterum, res semet aliter saepissime habet, et signa putredinis manifestissima citius feriusve accedunt. Quod, si incidit, febris *putrida* appellatur.

Signa autem putredinis sequuntur, animae, stercoreis, urinae, aliorumque excretorum, foetor ; aphthae fuscae, subnigrae ; odor cadaverosus ; petechiae ; sanguis detractus textura laxis, et brevi putrescens ; haemorrhagiae sine impetu humorum adaucto, vel passivae ; et una cum hisce signis cutis, ubicunque fuit laesa, ad gangraenam proclivitas.

Hujuscemodi sunt febres hodiernae Britannicae. Si eas cum febribus, quae seculo Sydenhamiano semet ostenderint, attentus contuleris, quin summum manifestissimumque has inter et illas intercedat discrimen, haudquamquam poteris ambigere. Seculi prioris propriae, quantum ex auctoris modo positi operibus disci potest, se contagione parum nullave forsitan ex parte vulgasse videntur. Pleraeque, contra, ex hodiernis admodum contagiosae sunt. Illae, ut supra comprehensum, nihil debilitatis insignis evidentive ad putredinem proclivitatis habuerunt; hae vero, si synocham excipias, debilitate maxima, vel proclivitate ad putredinem clara et indubitata, vel utriusque conjunctis, insigniuntur. Hae, febre inflammationem habente sola excepta, evacuationes, ut postea demonstrabitur, omnigenas pessime ferunt; sed illae remediis hujusmodi facillime paruerunt. Ex numero illarum febris nova, ut eam Sydenhamus appellat, sola forsitan aliqua ex parte eximenda est, quae conditione pulsuum arteriarum, hoc, quod detractionem sanguinis reiteratam non bene toleravit, et quibusdam aliis forsitan ad naturam typhi aliquantum accessisse videtur, quod causas debilitantes mox referendas effectus sibi proprios, quanquam minus manifeste, etiam ante obitum Sydenhami, edere coepisse testatur. Cum autem seculi prioris hujusque fe-

bres

bres sibi invicem omnibus fere magna ex parte contrariae sint, ut aliqua naturae febrium e tempore illustrissimi et venerandi Sydenhami mutatio inciderit necesse est. Igitur proximum est, ut causas, quae hanc fecerint, diligenter investigemus.

S E C T. III.

Causae, quibus Mutatio debet tribui.

i. *Thea et Coffea.*—Thea autem a Societate Belgicæ, quae mercaturam apud Indos Orientales facit, in Europam, sub initium fere centuriae decimae septimae, primum fuit inuenta. Ex Hollandia in Britanniam, circa annum 1666, a viris nobilissimis Arlington et Ossory, apportata esse dicitur. Caeterum, ante hoc tempus, apud Anglos innotuerat; anno enim 1660, vestigal octo denariorum singulis congiis infusi ejus, qui in cauponis venderentur, imponendum curaverat senatus. Quocunque vero tempore hanc in regionem fuerit importata, non multum refert. Hoc compertum habetur, seculo superiore praecipite, in usu communi et vulgari fuisse.

Quantum

Quantum ad dotes theae attinet, e complurium virorum illustrium experimentis, quae hic non recensenda ducimus, studio brevitatis adducti, quibus vero summa fides debeat haberi, clare evidenterque constare videtur, virtutes potestatesve sequentes ei inesse, antisepticam, nempe, adstringentem, et sedantem et debilitantem, a principio fragrante, penetrabili, et volatili pendentem, quod in thea viridi, praesertim odoratissima, maxime abundat. Hanc ob causam, moris est Sinensium eam, nisi in annum fuerit servata, nunquam adhibere, quod recentem vim soporiferam et inebriantem habere comperiuntur.

Quaenam commoda et noxae ab usu theae debeant sperari, haec experimenta fatis evidenter demonstrant. Prius illa, deinde has exequemur, utrum experimentis cum quotidiana et fideli observatione, in cujus testimonio summa fiducia collocanda, necne conveniat, attente considerantes.

Quantum virtutem antisepticam spectat, ea haud dubie in morbis ad putredinem vergentibus utilis esse posset. Cum vero antiseptica plurima multo potentiora et efficaciora comprehendat materia medica, ad theam hoc consilio

a medicis, quantum noverim, nunquam fuit decursum.

Quod ad vim astringentem attinet, haec haud dubie facit, ut infusum theae plerisque aliis herbarum infusis, quae, praeter odorem aromaticum admodum levem, potestatem stypticam perquam exiguam habent, qua effectibus eorum relaxantibus et debilitantibus occurratur, palmam praeripiat. Haec quoque in causa est, cur minus detrimenti ex usu infusi theae, quod plerumque calidum fumitur, quam alioquin incideret, capiatur. Potestas autem adstringens a sedante et debilitante nequit disjungi, aut per se comparari, nisi thea in morem Gallicorum coquatur, unde pars odora et sedans aufugiat et dissipetur, aut liquor qui destillationi, quae idem praestat, superest, evaporatione ad spissitudinem extracti redigatur. Thea quidem sub hac forma placentis exiguis, rotundis, et colore fuscis, duas drachmas pondere non excedentibus, e Sina in Europam invehitur. Decem hujus grana, ex idonea aquae quantitate soluta, uni pro jentaculo sufficiunt. Extractum, hoc modo solutum, amarum, jucundum, et potentiae sedantis et debilitantis expers, praebet. Eidem consilio respondebit theam ex aqua calida infundere, quae paucas post horas effundenda, et per noctem

noctem fervanda, ut mane in jentaculum rursus calefiat. Quibus, ut thea abstineant, nequit persuaderi, ii eam hoc modo adhibere possunt adversus vim ejus sedantem et relaxantem magna ex parte tuti.

Cum Sinenfes theam pro medicamento, in auxilium ventriculi prompto, fumunt, eam semper in aliquantum temporis coquunt, longa experientia forsitan docti.

Nunquam apud incolas Europae ad theam, ut adstringens medicamentum, confugitur, quoniam multa alia vires hujusmodi longe majores habent.

Quantum commoda, quae a potestate theae sedante et relaxante oriuntur, spectat, ea compluria et hujusmodi sunt. Quemlibet itinere longiore defatigatum, sensuque molestiae laborantem, mirum in modum reficit, et ad laborem rursus sustinendum aptum reddit; et igitur, ut Homius illustrissimus, in praelectionibus suis, testatur, et sedantem et stimulantem effectum edere videtur, vi sedante sensum molestiae tollens, et stimulante vigorem excitans et restituens, his dotibus opium plane referens. Vis theae sedans et relaxans auxilium quoque in morbis inflammationem habentibus promittit, et revera suppeditat. Infusum,

fufum, cum diluentia neceffaria effe videntur, liberaliter epotum diaphorefin non parvam, fyftemate nulla ex parte fere ftimulato, movet. Thea viridis et odoratiffima fubftantia, ex aliquo vehiculo diluente data, idem praeftat. Grana hujus triginta pro dofi fufficiunt in pulverem tenuem redacta, et ter quaterve ex intervallo trium quatuorve horarum fumpta folida, plerumque relaxant, calorem et inquietudinem imminuunt, perfpirationem movent, et omnia figna febrilia levant. Si naufeam levem excitant, haec omnia certius praeftant. Si dofis duplicetur, naufea et aegritudo augmentur, et dolor ingratus circa regionem ventriculi aliquandiu fentitur, quae figna alvus brevi fufa tollere confuevit.

Quanquam vero haec commoda a vi fedante et relaxante theae poffunt deduci; multarum tamen et graviffimarum noxarum fons et origo eft. Nec hoc quidem mirandum, cum liquor odor et pellucidus, inter theam deftillandam ascendens, in cavum abdominis telamve cellulosam animalium infufus, vel nervis eorundem nudatis applicatus, ea vel brevi enecet, paralyfive afficiat. Cuilibet debili quoque dofi drachmarum duarum aut circiter datus eum naufea, aegritudine, languore, et univerfa debilitate, in aliquot horas plerumque afficere folet. Quales autem
quamque

quamque horrendos in ventriculum totumque mortalium corpus effectus edet, quanquam magnopere dilutus, in locum cibi solidi suffectus, et multos per annos constanter adhibitus? Hos omnes exequi, opusculum nostrum in tantam longitudinem, quanta a natura dissertatiunculæ hujusmodi ex toto aliena est, produceret. Igitur paucos tantum, eos vero maxime insignes, percurremus.

Hoc autem primum notandum, theam non omnes ex æquo afficere, nec omne theae genus ex æquo eosdem perniciosos effectus edere. Namque thea viridis eam adhibentibus multo plus nocet, quam ea quae *Bohea* appellatur, utpote quae principii sedantis et debilitantis, a quo omnis noxa proficisci videtur, quantitatem longe majorem contineat. Igitur opulentis, qui viridi plerumque uti confuerunt, quam pauperioribus, haud dubie plus noceretur, nisi diaeta reliqua magna ex parte e solidis constans et generosa eos multorum incommodorum, quae alioquin orirentur, ex parte immunes redderet. Pauperuli vero, qui thea sola fere, alimento magis solido et valentiore neglecto, victitare sibi in animum induxerunt, a quolibet ejus genere, etiam minime pernicioso, summum detrimentum non capere non possunt. Non quidem negari potest, nonnullos, per longae vitae decursum injurias, quas corpori humano

humano constans theae usus soleat inferre, ex toto effugisse. Ii vero plerumque fuerunt admodum sani, valentes, labori et exercitationi quotidianae assueti, temperantia in victu insignes. Caeterum alii, qui in usu theae multos per annos perstiterunt illaesi, multis tandem incommodis morbisque ab ea plane nascentibus fuerunt obiecti. Plurimis quidem, qualiscunque firmitas corporis primaria fuerit, gravissime nocet.

Alios motu manuum tremulo, qui potissimum inter scribendum notatur, alios aegritudine, et ventriculi perturbatione, ejusdemve dolore, admodum gravi, et tremoribus universis stipato, interdum post unum alterumve cyathum sumptum, afficit. Qui maxime debiles et irritabiles sunt, ii facillime laeduntur, doloribus ventriculi et intestinorum, affectibus spasmodicis, copiosa urinae pallidae et limpidae excretionem stipatis, et magna animi perturbatione, frequenter correpti. Quinetiam sonitus minimus repentinum illis incutit terrorem. Usus theae somnum in aliis arcet, praesertim vespertinus et liberalis. In aliis summam ventriculi et canalisi alimentarii inflationem movet. Quinetiam aërem pulvere theae tenuissimo oneratum et inquinatum inhalare, aliis subitas sanguinis profusiones e pulmonibus et naribus; aliis tussis gravissimas,

in phthisin pulmonalem desinentes, excitavit. Hoc quidem in iis, qui in magnis theae quantitatibus loco in arc-tiore nimisque clauso commiscendis occupati sunt, potissimum incidit. Duos tresve hoc genus viros novi, qui prius vertigine gravissima, capitis dolore, spasms universis, potestate loquendi, memoriaque amissis correpti sunt, deinde in paralyfin funestam illapsi sunt. Quod aliquid, praeter sedantem et relaxantem dotem, actuosum et penetrabile theae inesse demonstrat, quod multis hominibus summae noxae esse potest.

Quo multa, quae facile possent referri, silentio praeteramus, nulla mala sunt, quae a debilitate, relaxatione, et irritabilitate corporis pendent, et omnis, qui medicinam primoribus labris gustavit, quam haec numerosa sint, probe novit, quae ab usu theae constante parumque modico, non proficisci posse videntur. Quam multos pauperum et apud Anglos et apud Scotos vidi, qui mercede laboris diurni non alimentum solidum et nutriens sibi comparant, sed theam, quam perpetuo forbillant, magnopere debilitari et emaciari, et conditionem ventriculi, dolorem capitis, et alia mala a ratione victus evidenter proficiscentia, constanter queri? Nec liberi eorum melius se habent. Ii

enim

enim plerumque sunt debiles, deformes, scrophulosi, vel alioquin morbidi. Caeterum de malis hujuscemodi fatis.

Nonnulli theam propugnare volentes omnia mala, quae supra depinximus, aquae calidae, ex qua thea infunditur, vitio vertunt. Res vero aliter sese habere videtur. Multi enim sunt, qui non citius unum theae cyathum sumunt, quam in eos invadunt summus molestiae sensus, anxietas et oppressio magnae, qui tamen compluria calidae pocula, quibus admista fuerunt saccharum et lac, impune bibere possunt. Exemplum hujus in Culleno ipso illustrissimo, medicorum hujusce saeculi facile principe, luculentissimum habemus. Verba ejus sequuntur: ‘ The weakening the
‘ tone of the stomach by frequent use, weakening the
‘ system in consequence, inducing tremors and spasmodic
‘ affections, are the effects of the tea itself, though, in
‘ some measure also, of the warm water. This applies
‘ to tea chiefly. I have a stomach very sensible, which I
‘ found to be hurt by tea, which I attributed to the warm
‘ water; but having used some indigenous plants with
‘ the same heat of water, I found no harm ensue; and
‘ this I have repeated above fifty times *.’

Insuper,

* Vide Cullen's Mat. Med.

Insuper, virum generosum Edinburgensem, qui medicinae studuit, et igitur causas effectusque accuratius notare et persequi potest, probe novi, qui in usu theae constante ultra paucas hebdomadas perstare nequit, quin magnopere debilitetur, et omnibus dyspepsiae signis laborare, incipiat pessime affectus. Si ea abstineat paucis diebus restituitur, et quaelibet diluentia et diaetam vegetabilem ferre valet, omnis incommodi expers, dummodo a thea sola temperet.

Quales effectus in Sinenfes, apud quos longo in usu fuerit, ediderit, investigare non alienum esse videtur. Ab omnibus illius populi ordinibus adhibetur. Opulentiores infusum ejus semper bibunt, sed cibum animale quoque sumunt, opipareque vivunt. Pauperiores thea et oryza solis aluntur.

Quantum autem corpora spectat, Sinenfes viribus modici, multi laboris duri intolerantes; languidi potius, si eos cum incolis quarundam aliarum regionum, ubi idem caloris gradus dominatur, comparaveris; notitia quorundam artificiorum operumque minorum insignes; ingenio vero sublimi, et in rebus civilibus et militaribus, destituti. Quantum animos, timidi sunt, callidi, in primis libidinosi,

libidinosi, cujuslibet rei simulatores ac dissimulatores, avari, effoeminati; vindictae et furto admodum dediti.

Haec omnia autem vitia rationi victus haud jure tribui possunt; ex aliqua tamen parte debent. Qui enim victus ad corpus debilitandum magnopere confert, is quoque ad affectus animi pravos reddendos nonnihil revera facit. Ubi etenim corporis firmitas deest, in locum ejus astutiam et calliditatem substitui saepe videmus. Hoc notabile est, five debilitas sit ingenita, five victus ratione, quae corpori vires convellit, inducta.

Quales Sinenfium morbi sint, magno ex parte ignoramus. Caeterum, parum nihilve inflammationis habere videntur. Nihil enim magis, quocunque morbo laborent, quam sanguinis detractionem reformidant Sinenfes, hanc evacuationem lethalem et funestam esse experientia forsitan docti. Si enim res non ita sese haberet, populo vitae cupidissimo, ut ad unicum fere remedium, quod in auxilium inflammationis promptum esse mortales reppererint, decurreret, posset persuaderi.

Cum usus theae autem constans et immodicus Sinenfes debiles et imbelles; et morbos, quibus corripiantur, ab
inflam-

inflammatione quam maxime alienos reddidisse videatur, proximum est, ut quales eadem causa in incolas Britanniae effectus ediderit consideremus. Hoc primum notandum, mutationem diaetae potentissime agere, sive in pejus, sive in melius, et corpus universosque ejus humores quasi de novo creare. Neminem latere potest, quot quantasque corpori injurias paucis mensibus inferat diaeta e cibis salitis et putrescentibus composita, quantum in plenitudinem diathesinque phlogisticam nimias possit lactea et vegetabilis, quam brevi corporibus debilitatis et emaciatis vires reficiat animalis et generosa. Diaeta autem majorum nostrorum, praesertim loco honestiore natorum, ante centum annos, aut paulo amplius, ex cibo animali fere solo, vegetabilia enim adhuc paucissima et rarissima erant, constabat. Ex hoc jentaculum, ex hoc prandium, ex hoc caena conficiebatur †, quibus omnibus accedebat exercitatio hodierna multo constantior et amplior. Apud homines ordinum inferiorum jentaculum e lacte sub variis formis, e cerevisia cui panis tostus fuit adjectus, e carne elixa vel assa frigida, aliisque solidis, constabat. Similibus apud opulentiores adjiciebantur vinum Hispanicum et alia generosissima. Moris erat vespere hospitibus

† Vide Arnot's History of Edinburgh, p. 175. 176. 199. 200.

hospitibus pro thea apponere gelata, scriblitas, bellaria ; immo, carnem frigidam, vinum, pomaceum, cerevisiam fortio- rem, et sub nomine cardiacorum liquores etiam spiritu- osos. Quidnam vero in locum jentaculi et refectionis vespertinae tam valentium et corroborantium, prandium enim caenamque aliqua ex parte immutata reliquerunt, substituendum curaverunt hodierni ? Nihil aliud quam liquorem haud dubie perniciosissimum. Etenim vis ad- modum sedans et debilitans, ut supra fuit demonstratum, ei plane inest, quae, in morem opii, in potestatem ven- triculi et canalis alimentarii nervosam agit, eamque aliqua ex parte immobilem inertemque reddit ; unde vires con- coctrices, actione canalis alimentarii imminuta, magno- pere laeduntur. Quod si incidit, summa debilitas in systema universum brevi diffundatur necesse est. Rem autem apud hodiernos saepissime revera sese ita habere, testantur multa, praesertim morbi nervosi numerosissimi, ut dyspepsia, epilepsia, paralyfis, hysteria, &c. Britannos in praesentia graviter exercentes, qui, ut inter omnes fere convenit, multo frequentius, quam olim, invadunt, et a debilitate proficiscuntur. Si vero corpora Britannica hodie, quam saeculo superiore, magis debilia et relaxata sint, non aliunde, quam hinc, causa mutationis febrium e tempore Sydenhami, quam manifestam et certam red- dere

dere velimus, est petenda. Febris enim, qualiscunque sit ejus causa primaria, pro firmitate vel debilitate corporis, quod occupat, typum formamque suam variare consuevit; in robusto et valente inflammationis concitatoris; in minus firmo prius levioris inflammationis, deinde typhi; in admodum debili typhi gravis et putredinis signa manifesta edens. Quantum ad coffeam attinet, eosdem fere effectus, quos thea, sed minore forsitan gradu, ostendere videtur.

Praeter theam autem et coffeam, multa alia non desunt, quae ad debilitatem, unde mutatio febrium pendeat, faciendam plurimum, manifeste evidenterque conferunt, hujusce saeculi magna ex parte propria. Hujusmodi sunt

2. *Nicotiana*.—Haec planta ab insula Tobago in Europam, circa annum 1560, primum fuit inuenta. Hodie in usu communi est. Utilitas ejus admodum incerta esse videtur, et, quantum multa spectat, minime innocua est. Vis anodyna et narcotica cum non parum stimulante in ea conjungitur. Ventriculo et intestinis admota, ea valde stimulat, et vomitionem movet, alvumve purgat. Naribus fluxum muci, glandulis salivariis salivae adauget. Quas injurias graves ventriculis eorum, qui eam mandunt,

dunt, formave fumi adhibent, infert, eae, iudicio nonnullorum, a magna potius salivae jactura, quam faciunt, quam a viribus ejus narcoticis, proficiscuntur. In hoc vero haud dubie falluntur. Nicotiana enim eadem omnino mala, pleraque nempe dyspepsiae signa, in iis, quorum multa exempla non defunt, qui parum nihilve fere expuunt, movere solet. Praeterea, qui ea sub forma pulveris utuntur, igiturque sputo ex toto fere vacant, non multo minus, quam alii, dyspepsiae notis afficiuntur. Aliquot hujusmodi aegrotos vidi, qui, donec nicotiana aliquandiu ex toto abstinerant, ad sanitatem reduci non potuerunt. Igitur hanc herbam, quocunque adhibeatur modo, et ad ventriculum, et, ob hoc, ad corpus universum debilitandum non parum conferre, manifestissimum.

3. *Liquores spirituos.*—Quantopere hi corpus humanum debilitent, nimis copiose et liberaliter adhibiti, neminem potest fugere. Igitur non opus est, uti super his fuse differamus. Prius stimulant, deinde fedant. Igitur, quo plus eorum fumitur, quoque major excitatio movetur, eo major collapsus debilitasque illi pro rata ratione respondens subsequetur. Cum in usu eorum immodico perstat, valetudo commodissima in aegrotationem, summus vigor in debilitatem et languorem, summa nervorum

firmitas in tremores universos, et aetas florens in senectutem praematuram, brevi mutatur. Exemplum hujus Londini, et quidem nimis multa quotidiana ubique fere non defunt, luculentissimum nuper habuimus. Antequam Senatus Britannicus ebrietati occurrendi, et plebis, partis populi illius utilissimae, saluti consulendi causa, vectigal liquoribus spirituosus, qui eo tempore nimis parabiles erant, et quidem hodie sunt, amplius imponere coactus est, bajuli Londinenses usu ejus speciei, quae Geneva appellari solet, immodico et constante adeo debilitati sunt, ut onera sua solita ferre non possent, sed illis succumberent, et ante vesperem in plateis debilitate et labore diurno oppressi jacerent, vix assurgere valentes.

Vinum reliquis minus nocet, etiam nimis liberaliter adhibitum, ob vim adstringentem, qua pleraque saltem ejus genera sunt praedita, quaque reliquis suis effectibus nocivis aliqua ex parte occurrit. Hinc notabile est, iis, qui liquores spirituosos meracos, vel ex aqua dilutos, et palato saccharo acidoque vegetabili adjunctis gratiores redditos, forbillant, quam vinum adhibentibus, multo citius graviusque noceri. Plerosque hujusmodi potioni deditos hydrope, aliisque morbis a magna debilitate et relaxatione pendentibus, extinguere notavi, dum sodales, vini potores, illis

illis superfuerunt, interdum magna ex parte illaesi. Virum generosum Scoticum, qui vinum per totum fere vitae longae decursum liberaliter sumpserat, rogavit amicus quidam, cur fodalibus superstes, et jam grandaevus adeo valens et sanus esset, et responsum insigne sequens accepit. "Because I never abused my body with punch." Quod acidum hocce praeparato continetur, id haud dubie ventriculum totumque corpus debilitat. Si calidum fumatur, eo magis nocet et relaxat.

Magnopere dolendum est, liquores hujusmodi hodie tam parabiles esse, et igitur principem in corpore debilitando partem agere. Res ante centuriam annorum, aut circiter, longe aliter se habuit. Maxima enim pars bynes eo tempore in cerevisiam fortiorem et tenuiorem conversa, et non, ut hodie, destillationi subiecta.

4. *Diaeta vegetabilis*.—Haec multo minus alimenti continet, et multo magis perspirabilis est, quam animalis. Igitur, quacunque quantitate adhibeatur, plenitudinem creare, et diathesin phlogisticam movere, non periclitatur. Ob magnam acidi copiam, quam comprehendit, proclivitati ad putredinem inimica est. Quod in causa est, cur servi, apud Indos Occidentales, qui vegetabilibus maxima

ex parte victitent, morbis endemicis minus, quam domini cibo animali infueti, opipareque viventes, objici soleant. Apud Britannos vero, ubi non tanta humorum ad putredinem proclivitas, acor, qui ab usu vegetabilium constante in ventriculo totoque canali alimentario oritur, nihil aliud praestare, quam fundamentum illi debilitati, quae homines, ad typhum aliasque idem genus febres, proclives reddit, jacere videtur. Hinc in pauperculos, qui vegetabilibus folis, nullo cibo animali (hic enim et illa conjuncta optimam diaetam constituere videntur) illis admisto, victitant, summa cum gravitate, ut omnes norunt, typhus invadere consuevit. Diaeta autem hujusmodi praesentis saeculi magna ex parte propria est. Superiore enim, ut supra comprehensum, vegetabilia multo rariora, et comparatu minime facilia.

5. *Auctus oppidorum et urbium.*—Ex quo Britannia multas colonias, easque multarum mercium domesticarum indigentes, habere, et commercium suum in omnes orbis terrarum partes diffundere coepit, plurimi, rure derelicto, oppida et urbes, opificia artesque diversas exercendi consilio, petiverunt. Ibi vitam priori ex toto contrariam, nempe sedentariam, agunt, in domibus angustioribus, justumque perflatum non habentibus, saepe degentes. Thea, aliisque debilitantibus supra
positis,

positis, vires sibi convellunt, et aërem, jam effluviis materiaeque perspirabili hominum aliorumque animalium oneratum et corruptum, adeo ut materia nociva e pulmonibus suis excernenda ab atmosphaera nequeat absorberi, unde ad putredinem magis minusve proclives evadunt, inspirant. Hanc ob causam, urbes et oppida nimis ampla causis, quae naturam febrium mutaverint, jure sunt accensenda. Hoc non immerito fieri testantur febres nervosae, stragem horrendam ibi saepe edentes.

6. *Luxuria universa.*—Haec in omnes gentis Britannicae ordines se diffudit. Apud proceres coepit, hos opulentiores sunt imitati, hos, ut potuerunt, pauperiores. Quam debiles plurimos nostratum, quam molles, quam ignavos, quam laboris impatientes, quam a majoribus fortissimis diversos, saepius enim umbrae ambulantes, quam veri viri, prodeunt, reddiderit, referre pudet. Non amplius ambulatur, non amplius equitatur. Sed omnes, si pauperrimos excipias, rheda vehant oportet. Quanta debilitas, quantaque irritabilitas ab hoc fonte fuerint profectae, non opus est ut dicamus; namque neminem, qui res secum rite considerat, fugere possunt. Luxuria igitur, in praesentia invalescens, iis, quae febres mutaverint, non sine causa gravissima annumeranda.—His multa alia possent

possent addi, quae haud dubie ad debilitatem illam, unde mutationem febrium pendere dixerimus, faciendam plurimum conferunt; sed unius alteriusve tantum meminerimus.—Juvenes hodie, diaeta debilitante forsitan magis irritabiles redditi, ad venerem praematuram, quam olim, procliviores sunt, et, ob mores fere universos depravatos, appetitui hujusmodi facillime possunt indulgere. Nihil vero corpus enerve et infirmum aequè cito reddit. Hoc igitur reliquis causis supra positis addendum.

Quinetiam multi hodie in regiones externas plagasque calidiores demigrant, mercaturam facturi, ibi multos annos manent, et tandem domum revertuntur admodum debilitati et relaxati. Ipsi infirmi progeniem vitiosorem dant; columbae enim non aquilas progenerant. Nihil igitur videtur ob stare, quo minus relaxatio et debilitas a regionibus calidioribus petendis ortae causis, quae indolem febrium immutaverint, possint accenferi.

Haec omnia, denique, quae in medium supra protulerimus, fontem, unde mutatio febrium intra centum annos proxime elapsos profluxerit, iudicio nostro, plene aperteque designant.

C A P. II.

Curatio Febrium idonea.

Cum pars operis prior in molem, sub initium non expectatam, excreverit, in hac nosmet limitibus quam maxime angustis circumscribemus, praecipua tantum leviter attingentes.

S E C T. I.

Curatio Synochae.

Consilium autem huic feбри medendi est, vim renisus compescere et moderari.

Huic autem accommodantur sequentia :

a. *Sanguinis missio*.—Haec in omnibus morbis inflammationem habentibus praecipuum remedium esse videtur, et plus in eos, quam omnia reliqua conjuncta, potest. Curatio hujusce febris ab ea semper incipiat. Magis minusve liberalis, pro gravitate signorum, sit oportet. Una aliquando, si protinus postea ad antimonialia confugiatur, sufficiet.

sufficiet. Duæ sæpe, interdum plures, desiderantur; hoc vero rarius incidere vidi. Sanguis subito et pleno rivo emittatur, incisione ampliore facta. Ita enim systema sanguiferum magis relaxabitur, quod summi momenti in hac febre esse videtur. Quantum ad hanc evacuationem attinet, summa ratio ætatis, virium, temporis anni, morborum præcedentium, et multorum aliorum, habenda.

b. *Purgatio alvi.*—Non opus est uti ad purgantia valentiora et drastica decurratur. Alvus laxantibus lenioribus, ut cremore tartari, salibus mediis, &c. vel enematis, singulis fere diebus semel bisve moveatur. Soluta per totum morbi decursum teneatur. Nihil enim magis, quam stercoreis in canali alimentario accumulatio, systema irritat.

c. *Emetica.*—Haec primam sanguinis detractionem protinus excipere debent. In spasmus cutis, qui omnia signa fovet et auget, plurimum possunt. Ex antimonio, quod ipecacuanhae in febribus longe præstat, præparentur. Vel calx *nitrata*, vel *tartarum emeticum* adhiberi potest. Hoc illi antecellit, quod dosin accuratius certiusque metiri possumus. Prius plena vomitio, quae febrem aliquando subito depellit, moveatur, deinde proclivitas ad evomendum

dum tantum, vel nausea aliquandiu continuetur. Ufus emeticorum antimonialium vires aegroto saepe paucis diebus adeo convellit, ut ulterior sanguinis detractio minus necessaria evadat. Si hisce per aliquot dies adhibitis diathesis phlogistica ex toto sublata esse videatur, nihil omnino ob stare videtur, quo minus ad corticem Peruvianum protinus confugiatur, qui, ut aeger ad integritatem multo citius reducatur, et omnes pravae morbi sequelae vitentur, faciet.

d. *Sedantia*.—Horum praecipuum est frigus, cui aeger, si affectus localis absit, magis libere, quam plerique putant, tuto committi potest. Exemplum hujus, ad quod considerandum animum non satis attendere videmur, insigne et manifestum in variola habemus. Refrigerantia non neglegantur, qualia sunt acida, sales medii, &c.

e. *Regimen antiphlogisticum*.—Hoc stricte adhibendum. Omnia irritantia externa et interna vitentur, ut calor, strepitus &c. Sitis non citius oriatur, quam diluentibus copiose adhibitis extinguatur. Nec corpus nec animus exerceatur. Acrimonia humorum usu liquorum tenuiorum et aqueorum liberali praecaveatur.

Si cursus sanguinis caput versus fiat, deliriumque ferox oriatur, ei potenter occurrent tonsura capitis, quae perspirationem huic augebit; epispasticum ei postea superimpositum; sanguis ex arteriis temporum emissus, vel lintea interdum ex aceto intincta, et his applicata, frequenter renovanda.

S E C T. II.

Curatio Synochi.

Cum haec a curatione typhi mox tradenda nulla fere in re differat, eam silentio propemodum ex toto praeterire decrevimus. Hoc tantum memoria tenendum, signa inflammationis, quae semet sub initium ostendunt, missionem sanguinis postulare videri, et aliquando forsitan revera postulare. Ad eam vero quam maxime caute confugiatur, ne debilitas brevi oritura tanta evadat, quanta medicinae parere recusabit.

S E C T.

S E C T. III.

Curatio Typhi.

Confilia autem huic morbo medendi duo sunt :

I. Causas debilitatis tollere, vel effectibus ejusdem occurrere.

II. Cavere ne humores ad putredinem vergant.

Curatio hujusce febris ab emetico semper incipiat. Hoc fit ex antimonio praeparatum, potissimum tartarum emeticum supra positum. Prius vomitio plena moveatur, quae febrim saepe subito et feliciter discutit ; deinde doses ad nauseam excitandam accommodatae adhibeantur. Si hoc modo remissio inducatur, vel diaphoresis moveatur, ad corticem Peruvianum tuto potest decurri. Si vero nec una, nec altera sese ostendat, non diutius, ut moris nonnullorum est, in usu antimonialium persistetur, ne tantam debilitatem faciant, quanta nullis tonicis postea tolli valet. Rebus ita sese habentibus, ad corticem et stimulantia audacter protinus confugi debet.

Multis

Multis ante aliquot annos placuit, et nonnullis hodie quoque placet, sanguinem sub initium hujusce febris mitti debere. In his fuit Whyttius celeberrimus, cujus praelectiones olim audiui. De hac ipsa febre verba faciens, ait : ‘ I daily see people die for want of bleeding in the beginning ; therefore bleed freely rather than omit it *.’ Pace vero tantae auctoritatis, detractio sanguinis, si aegrotum fervare velis, ex toto abstineatur, nec alvus, nisi per enemata quae frequenter adhibenda, moveatur. Debilitas singulis horis augescens semper respiciatur. Quae priori consilio respondent, ea sequuntur, nempe tonica et stimulantia.

a. *Cortex Peruvianus*.—Ad hunc, ut modo positum, post vomitionem faustam vel infaustam, protinus decuratur, nec usus ejus in momentum, ullam ob causam, differatur. Somniant haud dubie, qui ita faciunt. An signa minus gravia sponte evasura esse credunt? Qui spem ullam hujusmodi foveant, ii misere plerumque falluntur. Liberaliter et constanter, iis quantitatibus, quas ventriculus aegri ferre potest, adhibeatur. Doses semper tales sint, quales ventriculo facile sedeant. Namque, si aegrotus corticem semel rejicit, metus est ne eum non
amplius

* Vide Dr Whytt's Clin. Lect. anno 1763.

amplius retineat, licet opium ei adjungatur, quod infelicissimum foret. Tres ejus uncias cum summo commodo triginta sex horis sumi novi. Substantia datus efficacissimus.

b. *Frigus*.—Hoc omnium, quae adhuc nota sunt, proclivitati ad putredinem inimicissimum. Praeterea, corpus mirum in modum firmat, et debilitati potenter occurrit. Multa ex auctoribus, ubi magnopere profuit, exempla, si limites dissertationis hujusmodi paterentur, possent proferri. Igitur febricitans aëri puro et recenti quam plurimum obijciatur. Fenestrae nocte et die recludantur, et aër ad eum omni modo adspiret.

c. *Vinum*.—Rubrum Lusitanum, utpote quod magis stimulet, reliquis hujus generibus forsitan anteponendum. Si qui Burdegalensi infueverint, et si illis magis arrideat, sumant. Liberaliter semper adhibeatur, et cortici adjungatur. Miranda saepe praestat, vires auget, somnum inducit, delirium praecavet vel arcet, &c. Aromata dari possunt, sed vino et cortice minus profunt.

Quae remedia consilio secundo respondent, ea sunt eadem, ac ea, quorum mentionem modo fecimus. Magis liberaliter

raliter tantum, si fieri possit, signis putredinis orientibus, adhibeantur. His sequentia adjiciantur.

a. *Acida*.—Haec, et vitriolicum et vegetabile, copiose adhibeantur. Aurantia, et dulcia et amara, et succus limonum et pomorum, liberaliter fumantur. Nihil enim rebus hujusmodi contra putredinem efficacius.

b. *Summa munditiae ratio*.—Aërem purum et minime inquinatum semper inhalet aeger. Stercus et urina non citius excernantur, quam removeantur. Cibus animalis, utpote qui proclivitatem ad putredinem adaugeat, caute vitetur. Indusia et stragula aegro saepe mutantur. Corpus ei frigida saepe lavetur. Liquores diluentes, sed semper frigidi, frequenter et copiose bibantur.

Haec praecipua sunt, quae curationem typhi spectant. Argumentum aequae fuae, ac summum ejus momentum meretur, nos exequi vetat instituti ratio.

F I N I S.



